



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Difficultatis 3. An saltem per modum meriti possit creatura
abolere mortale condignè?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

filiationem adoptivam. Nego implicare, ne possit mereri alteri quis, ut habeat participationem divinæ naturæ. De laude aliud est; quia laus nihil aliud est, nisi appretiatio, titulo, ly: Bene egit: & quia, alter ab agente, non habet prædicatum: Bene egit, ideo nec laudem; jam autem potest habere aliquis collationem doni, sine prædicato: Egit, ut dum merentur Patres filii; potestque in hoc genere, etiam dici, esse unitas quædam moralis, illius aliis, cum merente.

FORMANTUR

Afferenda.

ASSERO 1. *Gratia, quæ nunc de facto habetur, probabile est, quod non sit principium merendi aliis gratiam de condigno.*

RATIO 1. asserti est; quia possibilis est gratia, quæ non sit principium merendi aliis, ut mox dicetur; Ergo probabilius est provisam esse à Deo gratiam talem, quæ non esset principium merendi aliis; quia connaturalius est dari talem gratiam, quæ effectus suos præstare possit saltem aliquando: Ergo cum ex consensu Doctorum, non præstet hunc effectum gratia, cum eam nobis meritis sit non nisi Christus, intercessitque decretum, ne id contingat; tali decreto, conformior & aptior erit gratia, quæ id præstare non possit.

RATIO 2. quia sicut dantur accidentia, quæ non possunt operari in subiectum extraneum, & alia quæ possunt; & ita calor agere potest in subiectum extraneum, gravitas autem non potest se multiplicare, in alio subiecto: sic etiam poterit dari gratia, quæ sit principium merendi, non nisi soli habenti, & quæ sit principium merendi etiam extra habentem; Ergo cum nullum signum habeas, præsentem gratiam esse, principium merendi aliis, sine fundamento dices, præsentem gratiam, esse principium merendi aliis.

RATIO 3. Quia non sunt multiplicanda Entia sine necessitate: Ergo nec virtutes operandi; nullum autem signum, præsentem gratiam ostendit, esse principium merendi aliis, nullaque huius necessitas.

ASSERO 2. *Possibilem esse gratiam, quæ sit principium merendi condignè aliis gratiam.*

RATIO 1. quia id non implicat.

RATIO 2. quia gratia, quam Christus habuit, vel est eadem specie cum nostrate, vel diversa specie. Si est eadem specie, ergo non implicat gratia, quæ sit principium merendi aliis gratiam condignè: hoc enim jam evenit in Christo. Si autem est diversa specie, habetur intentum, quod scilicet sit possibilis gratia, quæ est principium merendi aliis. Neque valet si dicas, Christum esse principium merendi aliis, tanquam membrum, cur enim non poterit esse etiam gratia principium merendi alteri, qui sit unum unitate fraternitatis in Domino?

RESPONDEBIS. *Gratiam quando reperitur*

in circumstantia hypostaticæ unionis, esse principium merendi alteri, non extra hanc circumstantiam.

CONTRA. Tum quia non implicat contradictionem, ut etiam extra circumstantiam. Hypostaticæ unionis, sit gratia principium merendi alteri. Tum quia, si id est gratia simpliciter impossibile, non poterit etiam circumstantiâ unionis hypostaticæ, quæ entitatem illius gratiæ non mutat, possibile reddi. Tum quia præcisâ circumstantia unionis hypostaticæ, non vim merendi gratiæ, sed non nisi dignitatem meritis confert, nec apparet, qui vim illam merendi tribuere possit gratiæ, si illam de se non habet.

RATIO 3. Vel potest Deus rationabiliter velle, saltem pro alio rerum ordine, ut pura creatura mereatur alteri de condigno gratiam, vel non potest? Si potest: Ergo etiam talem gratiam potest dare, aliis posset id velle Deus, ad quod præstandum non posset exhibere medium. Sinon potest: da huius implicantiam.

CONFIRMATUR. Poterat VERBUM incarnari, & ita satisfacere pro peccatis nostris, ut tantum esset suppletio illius dishonorationis divinæ, quam traxit peccatum, ita tamen, ut illa suppletio non cederet in bonum nostrum, & in liberationem; quo casu, non potuissimus rationabiliter dicere: Non potuit Christus offerre sua merita, ut cederent in bonum nostrum; aliis rationabiliter diceremus, id non potuisse fieri, quod de facto fieri potuit, & pro præsentem rerum ordine factum est: Ergo etiam non possumus rationabiliter dicere, quod Deus pro alio rerum ordine, non potuerit acceptare merita creaturarum, ad merendam aliis creaturis gratiam, quantum vis de facto illa non acceptaret; pro utraque enim parte militabit, ly Non implicat.

ASSERO 3. *Possè à Deo constitui puram creaturam, quæ sit caput reliquarum in ordine ad merendum.*

RATIO. Quia id non implicat; & si potuit Adam constitui caput in ordine ad merendum, cur non posset constitui caput in ordine ad merendum?

Punctum Difficultatis 3.

An saltem per modum meriti possit creatura abolere mortale condignè?

DICENDUM est. *Quod etiam per modum meriti, non possit creatura abolere mortale condignè.* Est contra Ripalda disp. 96. Ut intelligatur conclusio.

Supponendum est, condistingui satisfactionem pro mortali condignam, à condigno merito, ut remittatur mortale; nam satisfactio condigna importat, ne satisfaciens in ratione satisfaciens, sit inæqualis offenso; adeoque satisfactio condigna importat æqualitatem satisfactionis cum offensa; meritum autem de condigno hanc æqualitatem non importat, sed radicalem

exigen-

exigentiam acceptationis. Si tamen sit meritum de condigno, debet habere proportionem cum præmio, quod dicitur condignè mereri.

Hic præjactio

PROBATUR 1. Conclusio. Quia oppositum sentire, non est conformare se doctrinæ Patrum, qui simpliciter enuntiant salvari nos non potuisse, nisi vel per solam misericordiam Dei, vel per liberationem à persona divina: Ergo hic tertius modus, qui sit liberationis, per modum meriti condigni, à pura creatura ponendi, est, non secundum mentem Patrum; probatur antecedens, præter autoritates supra citatas, phrasi Cypriani de passione Christi; *Originali morti*, inquit, *nullum, nisi in Christi morte, poterat esse remedium*; & inferius: *Et sine hoc holocausto, poterat Deus, tantum condonasse peccata*. Neque valet si dicas, loqui Patres de satisfactione, non autem de merito; quia jam non simpliciter accipies dicta Patrum, negabisque majorem à Patribus positam: Nullum est nisi in Christi morte vel condonatione remedium; das enim tertium, meritum creaturæ de condigno.

PROBATUR 2. Quia posito quocumque merito puræ creaturæ, posset adhuc esse Deus rationabiliter averfus; Ergo non erit illud meritum de condigno. Antecedens probatur; quia pro non remittendo, haberet semper Deus potentius motivum, nempe suam excellentiam læsam, infinitudinemque offensæ; Ergo posset esse semper rationabiliter averfus.

PROBATUR 3. Quia si posset id creatura, posset ex eo, quia non repugnat gratia, quæ sit principium merendi alteri gratiam. Sed inde non sequitur intentum; quia quamvis sit possibilis gratia, quæ sit principium merendi alteri gratiam, non potest tamen esse principium, in circumstantia offensæ infinitæ; quod probatur. Tum quia, quamvis ignis possit in alio subjecto & non tantum in se producere calorem, non sequitur, quòd illum possit producere, in subjecto infinitè resistente; nam excessus ille resistivi victoriam haberet: Ergo & in præsentem idem dicendum. Tum quia & posset in tali circumstantia mereri gratiam ut supponitur; & non posset: quia ad meritum de condigno, licet non sit necessaria æqualitas, est tamen necessaria proportio, & radicalis exigentia acceptabilitatis, ita ut acceptatio, non sit simpliciter ex benigna inclinatione; nulla autem proportio finiti ad infinitum, nec apparet radicalis exigentia, ut finitum infinitam malitiam excludere possit. Tum quia & posset tunc intelligi producta gratia in illo offenso, ut supponitur, & non posset intelligi, quod ipsum ut probetur. Suppono, quòd nisi ponatur satisfactio condigna, tunc positioni gratiæ, præintelligi debet condonatio divina; si enim noller condonare antecedenter, cur poneret illud exigens, etiam suo titulo, suam condonationem; deinde in humanis

etiam, non ideo aliquis condonat, quia exhibet gratiam, sed exhibet gratiam, quia condonat; tunc quæro; vel intelligeretur tunc condonatio, vel non intelligeretur? si non intelligeretur: Ergo nec sequi posset tunc productio gratiæ. Si intelligeretur: Ergo sublativum mortalis, erit condonatio libera Dei, & non aliquod meritum creaturæ; quamvis enim gratia dicat exigentiam radicalem, licet à Deo superabilem, ne stet cum peccato; quia tamen in actum non potest reduci ipsum illud exigitivum (si secludas satisfactionem) nisi præintellectâ condonatione, si non præintelligatur condonatio, nec erit productio gratiæ. Si autem intelligatur hæc condonatio, jam non meriti viribus, sed illi condonationi, tribuenda erit abolitio peccati. Ad do, si tamen contra hanc resistantiam offensæ mortalis, poneretur illa gratia, merito alterius gratiæ; jam, producta gratia, exigeret illam condonationem à Deo.

OBJICIT 1. Ripalda autoritatem Augustini tract. 8. in Joan. ubi, inter principium & medium, docet: justum posse conferre baptizatis, dignitate suorum meritorum, effectum, quem Christus de facto confert Sacramento baptismi; jam autem, effectus qui Sacramento baptismi confertur de facto, non solum est gratia, sed & remissio peccatorum.

RESPONDETUR. S. Augustinum illo loco solum loqui de potestate instituendi Baptismi, vice Christi; qui baptismus vice Christi institutus, ab illa cæteroqui merita habente creatura, eundem effectum præstaret, quem præstat præsens baptismus.

OBJICIT 2. Idem. Ut meritum justis sit condignum remissioni peccati, sufficit habere bonitatem, & dignitatem, æqualem bonitati & dignitati gratiæ habitualis; sed hæc æqualitas haberi potest, ut dictum etiam in assertis; Ergo. Major probatur; quia bonitas & excellentia gratiæ, digna est, cui adjungatur remissio peccati, movetque ad hoc gratia, de condigno.

RESPONDETUR. Quòd bonitas & excellentia gratiæ digna sit, cui adjungatur remissio peccati, ita tamen, ut ipsa ejus productio supponat, vel liberalem condonationem, vel satisfactionem pro peccato. Concedo propositionem. Etiam hoc non supposito: Nego propositionem. Deinde, minor etiam est falsa; nam negatur, haberi in gratia quacunque, vim producendi gratiam, in circumstantia resistivi infiniti, quod est offensæ mortalis.

INSTAT 1. Oppositio gratiæ habitualis cum peccato, non est purè physica, sed etiã moralis.

RESPONDETUR. Concedo talem oppositionem, sed nego ipsam gratiam dicentem hanc oppositionem posse poni, casu quo non ponatur satisfactio æqualis, nisi præintellectâ condonatione, adeoque non erit abolitio peccati, vi meriti.

INSTAT

INSTAT 2. hoc fermè sensu. Gratia habitualis est principium merendi de condigno gratiam, & gloriam; Ergo erit principium merendi de condigno, & alliciendi voluntatem divinam ad remissionem peccati.

RESPONDETUR. Si agatur de merito gratiæ & gloriæ ei, qui est in mortali, negatur antecedens. Si autem sit res de eo, qui non habet mortale, disparitas est; quia nullum est prædicatum in gratia & gloria, quod opponi possit, ne æquetur dignitate gratiæ: in casu autem consequentis, est opponibilis infinitudo peccati; & certè etiam perpetuitas gloriæ, non est opponibile prædicatum, nam perpetuitas illa, non habet infinitudinem actualem, nec superat jus, quod habet gratia ut perpetuet, nisi mortali offensâ auferatur.

INSTAT 3. Demus. Cum negare remissionem peccati, gratiæ infusæ in instanti A, ponatur postea actus religionis, tunc duplici titulo deposcetur expulsio peccati.

RESPONDETUR. Hoc ipsum negari, quòd non præintellectâ condonatione, &c. poni possit gratia exigens remissionem mortalis.

OBJICIT 3. Idem. Licet dignitas meriti iusti, non sit tanta, quanta est malitia peccati, tamen est tanta, quanta est bonitas remissionis; quia bonitas remissionis non est tanta, quanta est malitia peccati; malitia enim peccati est tanta, ut hominem constituat in summa miseria, bonitas autem remissionis, non est tanta, ut constituat hominem in summa felicitate. Quod si bonitas remissionis non est tanta, quanta est malitia peccati, poterit illam æquare meritum iusti.

RESPONDETUR. Quamvis non sit tanta bonitas remissionis peccati, quanta malitia peccati, possitq; in aliis rationibus, bonitas actus gratiosi æquare bonitatem remissionis, non tamen in ordine ad expulsionem peccati. Ratio: quia ut compleatur infinitudo offensæ divinæ, intervenire debet negatio condonationis divinæ, ita ut totum illud esse offensæ, includat etiam negationem condonationis: quæ negatio, quia tanquam contradictorio, condonatione seu remissione (quamvis illam cogites finitam) tollitur, ideo, & ipsa infinitudo offensæ tollitur; nullum autem tale contradictorium, ponit meritum creaturæ, quoposito, esse offensæ infinitæ, deberet desinere.

OBJICITUR 4. Beneficium remissionis peccati, non est majus, quam restituere hominem in perfectam indemnitate; quæ indemnitas, non est tantæ bonitatis, quanta est malitia peccati.

RESPONDETUR. Concesso, quòd indemnitas à peccato, non sit tantæ bonitatis, quanta est malitia peccati, non sequitur, illam indemnitate posse peccatori à gratia tribui; cum gratia quæ tunc produci deberet, præintelligi postularret ante se condonationem divinam;

deinde remissio illa, cum ponat contradictoriū ejus, quod spectat ad offensam, quantumvis sit finita, poterit abolere offensam; tale autem contradictorium, non apparet, qui ponere possit meritum. Et hoc etiam modo solvendæ erunt paritates alia, quas inibi urget Ripalda.

OBJICITUR 5. Possibilis est gratia cui sit annexa visio beata, vel quæ reddat hominem impeccabilem; possitq; aliquis justus, mereri alteri hanc gratiam: Ergo poterit mereri & remissionem peccati; nam majus est beneficium impeccabilitas, quam pura remissio.

RESPONDETUR. Gratiam qualis est in casu antecedentis, posse cadere sub meritum, quia nullum prædicatum habet infinitudinis, nec potest ostendi resistitivum productioni illius, infinitum; in casu autem consequentis, ostenditur hoc resistitivum, nempe offensâ infinita.

OBJICUNTUR 6. Offensâ stat, cum est negatio satisfactionis, cui contradictorium ponit satisfactio; stat item, si sit negatio condonationis, cui contradictorium ponit remissio, seu condonatio etiam finita: Ergo etiam, stabit non nisi eousque offensâ, quousque erit negatio meriti de condigno, cui contradictorium ponat meritum de condigno.

RESPONDETUR. Ad hoc ut intelligatur Deus deponere offensam, vel moveri debet motivo sibi intrinseco, h. e. misericordiâ suâ præcise, vel moveri debet ab extrinseco; hoc autem extrinsecum, ut sit condignum, debet dicere vel æqualitatem: & hæc requiritur in satisfactione condigna; vel saltem proportionem, quam proportionem dicunt quidem merita Theandrica, etiam prout distincta à satisfactione; sed non apparet; qui dicat illam meritum creaturæ? ita ut illud meritum sit tantum, ut eoposito, jam non possit Deus rationabiliter retinere jus, ad offendi. Et certè in istis, quæ habent pro ratione. *Quia placet. Quia volo misericorditer*; non est jam inquirere, cur rationabiliter non possit jam Deus retinere jus ad offendi? est enim bonum naturæ intellectualis, misereri, posse remittere offensam, &c. adeoq; hoc bono spoliari non debet Deus; sed quando pro ratione non datur: *Quia volo misericorditer, Quia placet*; sed redditur pro ratione, *quia accipi*, ita ut jam rationabiliter non possim tueri jus, in ante possessum, nisi recurriendo ad absolutum dominium; certè jam in illo quod accipitur, aut æqualitas, aut proportio dicens radicalemente exigentiam ad acceptari, ostendi debet; & quia, finiti ad infinitum, nulla est proportio, nec meriti creati, proportio erit ad vires malitiæ mortalis superandas, tanquam resistitivas productioni gratiæ, assertivasq; Dei, ut, nisi misericorditer condonet, retineat jus ad offendi.

OBJICITUR 7. Saltem ergo poterit hoc mereri creatura, ut ponatur gratia, sed retento jure ad offendi.

RESPON-

RESPONDETUR. Si quis ad majora etiam miracula vim meritoria condigne tribuat creatoris, poterit etiam & ad hoc miraculum trahere; sed id non in valuit in sensum Doctorum.

DIFFICULTAS III.

An Satisfactio Theandrica sit pro mortali condigna, hoc est, infinita?

MAJOR hæc ex tractatis hæctenus colligitur: Satisfactio infinita pro mortali, est satisfactio condigna. Subsumetur in præsentibus & probabitur Minor: Sed satisfactio Theandrica est satisfactio infinita. De qua minori ut constet.

PRÆMITTO I. *Rigore loquendo, aliud est meritum, & aliud satisfactio.* Satisfactio, importat recompensationem lætæ excellentiæ, meritum dicitur laudabilitatem actionis per ordinem ad præmium; in præsentibus tamen, hæc non distinguuntur, quia quidquid de uno dixeris, de alio dicendum venit.

PRÆMITTO 2. *Diversas esse hæc in re sententias.* Prima negat merita Christi esse infinita valoris; quod consequenter docere debent ii, qui meritis Christi efficaciam, ex præcisa acceptatione divina tribuunt, fundanturq; in autoritate Scoti. 2da Sententia est Lugonis, qui disp. 6. Sect. I. dicit: Merita Christi habere valorem infinitum, quia merentur quodcumq; præmium; ut equus dicitur valere tantum, quantum in solutione pro illo exigere potest. Sed non dicit esse meritum infinitum; quia potest dari actio, quæ magis moveat, & per consequens majus meritum, quatenus magis merebitur, licet non plus. 3ta Sententia est quæ adstruit infinitatem simpliciter in meritis Christi, & valore eorundem; estq; sententia Suarii hæc disp. 4. Sect. 4. Amici disp. 6. Sect. 2. & aliorum.

PRÆMITTO 3. *Videri paulo molestius, ut concedatur cum Scoto, ex sola acceptatione infinitari merita Christi;* de quo in materia de merito; forte tamen hæc fuit mens Scoti; dicebat ille, has individuas etiam actiones, de se, rationem meriti, & infinitudinis non habere, eò, quod ex libero decreto Dei, cum hoc principio has actiones elicente, decreta sit unio personæ divinæ, sine qua persona, poterant illæ actiones, saltem aliquæ, malæ esse, quia malâ intentione factæ, vel non esse infinitæ; totum ergo id pendebat ex acceptatione divina, non quidem liberè illas infinitante, suppositâ unione hypostatica; sed quod libertate divinâ, acceptata sit illa natura ad unionem hypostaticam.

DICENDUM est I. *Si nomine meriti infiniti simpliciter, velis accipere meritum, quod secundum omnes rationes, quas includit, sit infinitum; in isto sensu merita Christi non sunt infinita simpliciter.*

PROBATUR I. Quia in meritis Christi est ratio actus creati, hæc ratio non est infinita, quia

eadem in individuo poterat elici, casu, quo non fuisset terminata illa natura hypostasi divinâ, & tamen illa actio, tunc non fuisset infinita: Ergo non secundum omnia, quæ includit actio meritoria, est illic infinitudo.

PROBATUR 2. Quia duratio temporanea non est infinita, & tamen etiam hæc habetur in meritis Christi: Ergo illa non secundum omnes rationes quas habent, sunt infinita.

PROBATUR 3. Tota infinitudo actionum Christi, est non nisi à VERBO; consideremus ipsum illud dignificatum, quod ipsum dignificatum; ita præcisum, vel est finitum, vel infinitum? Si finitum, habetur intentum: Si infinitum: ostende, unde, & per quid infinitetur?

DICENDUM 2. *Si nomine meriti infiniti simpliciter, accipias meritum, secundum quod est meritum hujus personæ, in isto sensu merita Christi sunt infinita simpliciter.* Idem sic proponitur *Merita Christi, formaliter, & complete accepta, secundum quod dicuntur esse hujus suppositi, sunt infinita simpliciter.*

PROBATUR I. autoritate Clementis IV. in Extravaganti *Vnigenitus.* Thesaurus meritorum, qui diminui nunquam potest, debet esse thesaurus infinitus, ex vi principii illius, quod infinitum sit id, cujus secundum quantitatem accipientibus, semper accipere est, & nunquam idem; sed talem thesaurum esse meritorum Christi docet ibidem Papa, expresseque dicit, illum diminui non posse, propter infinita Christi merita: Ergo.

PROBATUR 2. Meritum æquale, imò superabundans, offensæ infinitæ simpliciter, debet esse infinitum simpliciter: nam finitum non potest esse æquale infinito; jam autem meritum Christi, est æquale offensæ infinitæ, est enim copiosa apud eum redemptio.

PROBATUR 3. Si merita Christi, accepta secundum ultimum sui complementum, non essent infinita simpliciter, ultimum illorum complementum, & esset infinitum simpliciter, est enim ipsa Persona VERBI infinita simpliciter; & non esset: quia ipsa merita secundum illud complementum accepta, non essent infinita, ut tu dicis. Et sicut, si paries albus, secundum ultimum sui complementum in ratione albi, non esset disgregativus visus, nec ipsa albedo, esset disgregativa visus: ita si merita secundum ultimum sui complementum, non sunt infinita simpliciter, nec ipsum complementum erit infinitum simpliciter. Tota præsentis tituli difficultas est, in explicandis his duobus. Imprimis, quæ ista infinitudo meritorum Christi, non sit merè moralis, & ex imputatione? deinde, quomodo hæc dignitas derivetur in ipsamet merita? Hoc ut habeatur,

Sit

* g

Pun-